

quiete conservare ac confovere tenerentur et essent obligati. Ex seriebus denique quartae, quintae, sextae, septimae et octavae Litterarum jam fatarum, quondam Mathiae de Boszna, Benedicti filii Georgii de Prezechnafew ac Hans Apprahar, Georgii Pyers et Pauli filii Mikchecz de Cirkvena, Capitaneorum et Comitum terrestrium saepefacti Castri maioris Kemlek privilegialium, in diversis Annis et locis post sese emanatarum aperte habebatur: Quod praefati Nobiles in Districtu eiusdem maioris Kemlek commorantes, omnes venditiones, prohibitiones, donationes, protestationes, statutiones et alias quaslibet fassiones, tam in facto possessionario quam etiam aliis factis et negotiis fieri consvetas, coram dictis Comitibus eorum terrestribus fecissent, Ipsique Comites et Capitanei terrestres eiusdem Castri maioris Kemlek, Causas et Lites inter ipsos Nobiles emergentes iudicassent et judicialiter dirimissent. Quibus exhibitis et praesentatis idem Procurator dicti Andreae Both in Causam attracti, in persona eiusdem subjunxit eo modo. Quod licet hoc verum sit, quod praefati Nobiles in pertinentiis dicti Castri maioris Kemlek commorantes certas haberent libertates, quibus ipsi instar aliorum verorum Regni Hungariae sed et Sclavoniae Nobilium usi fuissent et gavisi, nonnullis tamen servitiis et proventibus ad Castrum Kemlek praescriptum ab antiquo faciendis administrandisque obligarentur, quibus ultra praescriptam eis concessam libertatem nulla ratione supportati esse valerent, et in eo idem Procurator dicti Andreae Both, in Causam attracti, in verificationem Actionis suae praenotatae, in eo tantum modo, ut iidem Nobiles certa Servitia, Actiones, nec non munera, seu taxas, dicas, in signum recognitionis, Capitaneis seu Castellanis ipsius Castri Kemlek pro tempore constitutis, semper et ab antiquo fecerunt et dederunt, se ad communem inquisitionem submittere velle; antefatis quoque Procuratoribus dictorum Nobilium eosdem Nobiles modo simili in eo: quod ipsi a tempore exemptionis sive libertationis eorum, per praefatum quondam Dominum Sigismundum Regem ordine praenarato factae, nunquam alia servitia, seu taxas, actiones, sive aliqua alia munera ipsis Capitaneis vel Castellanis ipsius Castri fecissent et dedissent, dempto tempore impacato; Nam fuerunt certi Capitanei sive Castellani forenses, Allemanni videlicet, homines ex Officio idem Castrum tenentes, qui necdum servitia aut munera, vel taxas, verum etiam per Personarum eorum detentiones universas res et Bona eorum auferri fecissent et ad servitia inconsueta compulissent, et hoc modo simili ad ipsam communem inquisitionem Nobis legitime requirendam submittebant. Ad quam faciendam partibus petentibus per alias litteras nostras, cum easdem partes ad ipsam communem inquisitionem in facto servitiorum solutionis munerum, Actionum, et exactionis taxarum vel dationum ad eandem communem inquisitionem comissemus, iidem procuratores eorundem partium in facto exemptionis seu libertatis et Nobilitationis eorundem Nobilium per Nos iudicium et justitiam elargiri postulabant. Verum licet idem Emericus de Retho, Procurator annotati Andreae Both, in eiusdem ac fratrum eiusdem Andreae nominibus et personis exhibitionem praescriptarum Litterarum in superioribus insertarum, hoc est, ut iidem Nobiles in praescripto Districtu Castri Kemlek maioris constituti et existentes semper et ab antiquo ad idem Castrum praescripta servitia solutionesque munerum, actionum, Dicarum seu taxarum fecisse, facereque debere de praesenti allegaverit; tamen quia praefatus quondam Dominus Sigismundus Rex in praescripto Anno Domini 1430 Supplicationibus praefatorum Joannis filii Osl de Herborth et Magistri Michaelis de Rawen, per ipsos Culmini